

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

Meier, Gebhard Theodor

Helmstadii, 1696

§. VI.

urn:nbn:de:bsz:31-105465

ἰῶν νεκρῶν sed simpliciter *οἱ νεκροί* ut appareat quoscunq;
etiam mortuos in Christo tum fore suscitandos, idq;
fiet quando Christus descendet cum voce Archangeli
& tubâ Dei, hoc est in adventu Christi, quemadmo-
dum ipsi etiam id explicant Chiliastæ & per se quoque
fatis est manifestum.

§. VI. Et ne quis dubitet, universalem hanc esse
omnium piorum resurrectionem, apertius id proba-
mus ex Joh. vi, 39. 40. 44. 54. ubi Salvator quaternis vi-
cibus asserit omnes pios esse suscitandos *ἐν τῇ ἑσχάτῃ ἡ-
μέρᾳ* ubi *ἑσχάτην ἡμέραν* esse idem tempus cum eo quo
Christus cum voce Archangeli descendet, probatur
hoc argumento:

Omnis ordinaria piorum resurrectio incidere debet
in *ἑσχάτῃ ἡμέρᾳ* de quâ agitur Joh. vi, 39. &c.

Resurrectio piorum de qua agitur i. Thess. iv, est
ordinaria piorum resurrectio.

Ergo hæc resurrectio incidere debet in illam *ἑσχά-
τῃ ἡμέρᾳ* Johannis, cumque hæc resurrectio futu-
ra fit in adventu Christi i. Thess. iv, 16. sequitur &
illum in *ἑσχάτῃ ἡμέρᾳ* Johannis incidere.

Major probatur, quia resurrectio, illa quæ fiet *ἐν ἑσχάτῃ
ἡμέρᾳ* omnibus piis promittitur. Ita enim Salvator ha-
bet l. c. *Hæc est voluntas Patris qui me misit, ut nihil per-
dam eorum, quæ mihi dedit (hoc est neminem piorum)
sed ut suscitem illud in die extremo, item v. 40. Quicun-
que credit in Filium Dei, habet vitam æternam, & su-
scitabo eum in extremo die, & denique v. 54. Qui edit
carnem meam & bibit sanguinem meum habet vitam
æternam & suscitabo eum in die extremo. Nec aliud di-
cit v. 44. quam quod quemcunq; Pater ad Christum
pertrahit, illum ipse sit suscitaturus in die extremo. Hæ
propositiones procul dubio sunt universales. Si or-
dinaria*

dinaria daretur piorum resurrectio, quæ non esset futura in die extremo non potuisset dicere Salvator, omnes & singulos pios in die extremo fore suscitandos. Nec obstat, quod nonnulli piorum ante extremum diem Christo moriente resurrexerint, resurrectio enim ista fuit extraordinaria, quæ universalitati futuræ resurrectionis piorum in adventu Christi nihil detrahit. Quemadmodum universaliter dicere licet: Totus ille sexies centenorum millium numerus, quos Moses ex Ægypto eduxit, in deserto fuit occisus nec terram Canaan attigit, non obstante eo quod excipiendi tamen hic sint Josua & Caleb, id quod tamen dicere non liceret, si aliquo tempore notabilis eorum numerus ad terram Canaan fuisset deductus.

Minor patet quia si extraordinaria & paucorum saltem esset illa resurrectio de qua agitur 1. Thess. iv, 16. utique non simpliciter dicere potuisset Apostolus *οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ* resurgent, sed limitandum fuisset hoc subiectum, & ad paucos saltem restringendum, sicut dicere non licet: Mortui resurrexerunt Christo moriente, sed saltem, multi mortuorum Christo moriente resurrexerunt, imo res adeo manifesta est, ut nec Chiliastæ, quod in his desiderent, reperire possint.

Evictum itaque est quod in adventum Christi incidat universalis illa omnium piorum resurrectio, quæ apud Johannem dicitur futura *ἐν τῇ ἑσχατῇ ἡμέρᾳ*, in quo etiam Chiliastas nobiscum consentire ex testimoniis sequentibus erit manifestum.

§. VII. Edidit quippe Animadvertentis nobilissima Conjux superiori anno librum, cujus titulus: *Glaubens-Gespräche mit Gott*, in cujus tertia parte omnia fere Chiliastarum secreta prodidit, cumque Dominus Maritus ejus in Animadvers. §. 34. profiteatur, omnes